



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens Psalmos à 51. ad 75

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, 1762

VD18 15558428-001

Psalmus LXXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53344)

scro exule Regem beatissimum faciendo.

ψ. 24. *Nam & ego confitebor tibi in vasis
Psalmi veritatem tuam : Deus Psallam tibi in
cithara, sanctus Israel.*

ψ. 25. *Exultabunt labia mea, cum canta-
vero tibi : & anima mea, quam redemisti.*

ψ. 26. *Sed & lingua mea tota die meditabi-
tur justitiam tuam : cum confusi, & reveriti
fuerint, qui quærunt mala mihi.*

In fine prædicit sibi liberationem de manu
Absalonis, & pollicetur gratiarum actionem.
*Nam & ego, adeptâ victoriâ, laudabo fidelita-
tem tuam in instrumento Psalmi canendi, quod
psalterium vocatur; etiam psallam tibi, O san-
ctus Israel, in instrumento Citharæ. Vocatur
Deus Sanctus Israel, quia sanctificari debet à
populo Israel cultu, & honore; & ipse populum
Israel suâ gratiâ sanctificat. Insuper os meum
jubilabit, cum cantabo tibi, & vita mea, quam
redemisti ab interitu, exultans laudabit te: nec
hoc iterum, & semel, sed lingua mea omni tem-
pore exercebit se in decantandâ justitiâ tuâ,
quando confusi erubuerint omnes inimici mei,
qui quærunt nocere mihi.*

PSALMUS LXXI.

Titulus : *In Salomonem.*

Argumentum : *Occasio scribendi, vel ca-
nendi*

H 3

nendi

nendi hunc Psalmum fuit, ut bene precaretur Salomoni filio suo, quem in Regni solium extulerat. Et verè primi v. v. satis appositè Salomoni conveniunt. Sed mox à Spiritu S. elevata mens, & lingua Propheta transtulit sermonem ad Christum, cujus figura apertissima Salomon fuit.

v. 1. Deus judicium tuum Regi da, & justitiam tuam filio Regis.

v. 2. Judicare populum tuum in justitia, & pauperes tuos in judicio.

Vir sanctus non precatur filio suo opes, propagationem imperii, sed gratiam bene fungendi officio Regis. Da Salomoni, Regi recens instituto, gratiam judicandi secundum leges tuas. Et justitiam &c. idem est; nam justitia, & judicium (quæ aliàs differunt, cum justitia sit virtus, & judicium actus justitiæ) hinc pro eodem sumuntur; & Salomon Rex est, & filius Regis. Da, inquam, ut populum tuum, seu pauperes tuos (quod idem est, cum omnes, etiam ditissimi sint pauperes Dei) justo judicio judicet.

v. 3. Suscipiant montes pacem populo, & colles justitiam.

v. 4. Judicabit pauperes populi, & salvos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem.

Hæc

Hæc etiam pertinent ad bonam precationem Regni. Precor Deum, ut, regnante filio meo, descendat pax & justitia ad omnes subditos, qui in montibus, aut collibus habitant : quæ duo si vigeant in Regno, facilè Rex ipse judicabit pauperes populi à calumniis, & oppressionibus paucorum potentiorum, qui in tantâ copiâ deesse non possunt.

ψ. 5. *Et permanebit cum Sole, & ante Lunam in generatione, & generationem.*

Jam incipit transire à Salomone ad Christum, Salomon enim non permansit, ut ψ. exprimit, ad finem sæculi. Et sensus est: continuabitur Regnum Salomonis per Christum (qui ex progenie ejus nascetur, & erit verissimus pacificus) *cum Sole*, h. e. quamdiu Sol erit, & *ante Lunam*, h. e. coram eâ, *in generatione &c.* usque ad finem sæculi.

ψ. 6. *Descendet sicut pluvia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.*

Convenienter priori ψ., jam describit Christi adventum, ad Judæos primùm, deinde ad Gentes. Similitudinem ducit à pluvîâ, vellere, & terrâ, juxta signum liberationis populi, datæ Gedeoni *Jud. 6.* Nam petente Gedeone signum à Deo, factum est, ut vellus in areâ positum impleretur rore Cæli, areâ totâ siccâ permanente : & sequente nocte, area tota com-

pluta est, solo vellere in medio areæ remanente arido. Sic descendit Christus primò ad Judæos, per vellus significatos, totâ reliquâ terrâ permanente aridâ, dicente ipso : *non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domûs Israel*, Matth. 15. Deinde venit ad gentes per Apostolorum prædicationem, & sic compluta est terra pluviâ doctrinæ salutaris, & gratiâ Baptismi, dicente eodem Domino : *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes &c.* Matth. 28.; & solum vellus remansit aridum, ariditate incredulitatis, ut etiam hodie cernimus.

¶ 7. *Orietur in diebus ojus justitia; & abundantia pacis, donec auferatur Luna.*

Describit primum fructum adventûs Christi. Cùm venerit Salvator, abolebitur peccatum, & orietur justitia in cordibus hominum per fidem JESU Christi : & ex hâc justitiâ, sive caritate sequetur vera, & stabilis pax, quæ cælum, & terram repleat. Sic, Christo nascente, bella ubique quiêrunt. Durabit autem hæc justitia fidei, & pax conscientiæ, non sinè externis persecutionibus, donec cesset omnis corruptio, & mortalitas, per Lunam significata.

¶ 8. *Et dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum.*

Describitur nunc propagatio Regni Christi,
quod

quod est Ecclesia toto orbe diffusa. Dominabitur per totam terram à mari usque ad mare, quia terra undique cingitur mari Oceano ; incipiet autem prædicatio à Jordane flumine, ubi Christus baptizatus est , diffundenda deinceps per omnes terras.

¶ 9. *Coram illo procedent Æthiopes , & inimici ejus terram lingent.*

Nominantur Æthiopes in particulari , fortè ideo, quia ipsi secundùm latitudinem terræ sunt in finibus orbis terræ. *Et inimici &c.* explicat priora : nam *providere* est prosterni ad terram, quod faciunt, qui terram lambere volunt. Itaque significatur humillima subjectio, & adoratio debita Deo, quam Christo deferent *inimici ejus*, h. e. infideles, & peccatores conversi ad fidem, & pœnitentiam, deferent, inquam, vel jam spontaneè, vel coacti in novissimo die.

¶ 10. *Reges Tharsis, & Insula munera offerent, Reges Arabum, & Saba dona adducent.*

Dixerat, Christum dominaturum à mari usque ad mare, ne quis igitur putet à dominio ejus excludendas insulas, in medio mari sitas, addit : Reges Insularum Orientalium (quæ probabilissimè hîc intelliguntur) & ipse etiam *Insula*, h. e. populi earum munera pretiosa Regi Christo offerent. His addit *Reges Arabum, & Saba*, quia in his locis eruitur copia auri, argenti, lapidum pretiosorum, aromatum &c. H 5 ¶.

ψ. 11. *Et adorabunt eum omnes Reges terra, omnes gentes servient ei.*

Prædicit, *omnes*, h. e. plurimos Principes cum populis suis ad Christi cultum, & obsequium convertendos esse. Quanquam in die iudicii omnes omnino, sive sponte, sive coactè, Christo genua curvabunt.

ψ. 12. *Quia liberabit pauperem à potente, & pauperem, cui non erat adiutor.*

Ideo Reges, & populi servient Christo, quia per ipsum liberabuntur à potestate Diaboli. Per *pauperem* intellige genus humanum, spoliatum à Dæmone omnibus bonis statûs innocentia. Per *potentem* intellige Dæmonem, quem ex astuto potentem fecit iniquitas nostra: nisi enim homo persuasioni ejus consentire voluisset, nunquam eum Dæmon debellare potuisset. *Cui non erat adiutor*, h. e. nec alius homo, nec Angelus, nec ulla creatura poterat juvare.

ψ. 13. *Parcet pauperi, & inopi, & animas pauperum salvas faciet.*

Explicat modum, quo Christus liberabit homines à Diabolo. Rex noster parcet *pauperi, & inopi*, condonabit delicta agnoscentibus debita sua, & confitentibus inopiam suam, ob quam solvendo non erant; insuper donabit gratiam, & sic animas pauperum salvas faciet.

ψ. 14. *Ex usuris, & iniquitate redimet animas*

mas

mas eorum, & honorabile nomen eorum coram illo.

Homo per originale peccatum debitor factus est mortis æternæ. Atque hoc est debitum capitale; sed dum hujus debiti solutio differtur, iniquus exactor Diabolus exigit usuras, impellens quotidie ad nova peccata, quæ sunt pœnæ primi peccati; & dum horum peccatorum pœna differtur, usuræ transeunt in sortem principalem. Christus ergo, benignissimus Dominus, non solum peccatum originale, quod fuit primum capitale debitum, per gratiam suam remittet; sed etiam ab usuris, h. e. ab actualibus peccatis, & ab iniquitate tam duri exactoris redimet; quia (*Et positum est pro quia*) etsi homo per peccatum vilis, & despectus valde factus sit, natura tamen humana, & nomen hominis non est vile apud Deum, cum Deus imaginem suam non despiciat.

¶. 15. Et vivet, & dabitur ei de auro Arabia, & adorabunt de ipso semper: totâ die benedicent ei.

Quia dicens *Redimet animas*, insinuaverat mortem Christi, quæ fuit redemptio, & propitiatio pro animabus nostris, addite ejus resurrectionem, & vitam æternam. Et postquam per mortem redemerit, iterum vivet: preciosis muneribus coletur; & redempti ab ipso adorabunt Deum

Deum verum ex ipsius ritu, doctrinâ, institutione usque ad mundi consummationem ; jugiter benedicent ei.

ψ. 16. *Et erit firmamentum in terra in summis montium, superextolletur super Libanum fructus ejus: Et florebit de civitate sicut fœnum terra.*

Hic describit fructum Apostolicæ prædicationis post Christi resurrectionem, & Ascensionem in Cælum. Et erit in terrâ abundantia frumenti spiritualis, quod est Verbum Dei : etiam in locis ex se sterilibus (valles enim, non montes abundare solent frumento) crescet, & multiplicabitur fructus hujus frumenti, in terrâ fati, supra altitudinem cedrorum Libani, vel supra fructum Libani, qui producit arbores plurimas, & altissimas. Et hic fructus frumenti, qui, ut ait Isaias C. 2. ψ. 3., ex civitate Dei, seu Jerusalem incipiet, situs erit in multiplicatione credentium, qui florebit, & germinabunt in tantâ copiâ, ut fœnum in terrâ germinare solet. Sic Act. 6. : *Et verbum Dei crescebat, & multiplicabatur numerus credentium valde.*

ψ. 17. *Sit nomen ejus benedictum in sacula, ante Solem permanet nomen ejus.*

Concludit orando, & laudando futurum Messiam. Ab omnibus, ubique, & semper benedicatur nomen Christi ; quod nomen, quamdiu
Sol

Sol erit, permanebit. Conabuntur quidem persecutores illud extinguere ; sed non prævalebunt.

¶. 18. *Et benedicentur in ipso omnes tribus terra, omnes gentes magnificabunt eum.*

Nemo benedicetur, nisi in Christo ; & in ipso benedicentur, quotquot ex ipso renati fuerint, & in ipso perseveraverint. Et sicut in ipso benedicentur omnes tribus terræ ; sic vicissim omnes gentes laudabunt, & glorificabunt eum.

¶. 19. *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus.*

Hæc est laus, quâ magnificabunt eum omnes gentes : agnoscent enim, & prædicabunt, hæc mirabilia, quæ fecit Christus justificando impios, eruendo eos de potestate tenebrarum, & transferendo in Regnum suum, ab eo solo fieri potuisse.

¶. 20. *Et benedictum nomen majestatis ejus in aeternum, & replebitur majestate ejus omnis terra : fiat, fiat.*

Oportet in fine, ut nomen majestatis Divinæ ab omnibus benedicatur, non in Cælo tantum, ubi semper ab Angelis benedicitur, sed & in terrâ, ita ut repleatur omnis terra gloria Domini, & omnes homines agnoscant, & laudent Dominum. Addit ex magno affectu : fiat, fiat, hebraicè, *Amen, amen ; verè ita sit, vel fiat.*

Atque

Atque hic est finis libri secundi secundum Hebræos.

PSALMUS LXXII.

Titulus : *Psalmus Asaph.* Vide tit. Psalm. 40.

Argumentum *adhortatio ad infirmos fideles, ut non scandalizentur, si videant improbos in hoc mundo florere: qua adhortatio semper utilis, saepe etiam necessaria est, cum nempe populus Dei, vel justus quicumque persecutionem patitur, & iniusti maximâ pace, & tranquillitate fruuntur.*

ψ. 1. Quàm bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde!

Explicaturus David tentationem, & scandalum pusillorum, quorum personam hic agit, primò jacet fundamentum rectæ fidei, ut intelligamus, neque ipsum, neque illos, quorum personam induerat, circa fidem Divinæ providentiæ naufragasse. Deus, qui in se semper est bonus, rectus, justus, est etiam talis Israelis judicio, non tamen omnis Israelis, sed iis ex Israele, qui cor habent liberum à passionibus, ut possint rectè judicare.

ψ. 2. Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei.

Exponit tentationem infirmorum, quorum
per-